Luciani Muelleri de Phaedri et Aviani fabulis libellus

Eduard Friedrich H. Lucian Müller, Flavius Avianus

LVCIANI MVELLERI

DE PHAEDRI ET AVIANI FABVLIS

LIBELLVS.

LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI.
A. MDCCCLXXV.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

F · L
S

Miraberis, amice suavissime, quod ego, quem totum in Nonii sylloge occupatum existimabas, subito prompserim libellum argumenti prorsus alieni. Sed profecto, ut ait Phaedrus noster, debet aliquando ludus dari animo, ad cogitandum melior ut redeat tibi. Equidem quantum aliis sit concessum naturae dono nescio. Nobis certe pro huius tenuitate ingenii non licet quotannis emittere Lucilium, ut negotiorum aliorum super alia cumulatorum multitudinem caelique Petropolitani intemperiem ne accusem. Habes igitur nonnulla de Phaedro litteris consignata, quorum maxima pars mihi succrevit, dum hieme proxime praegressa eius fabulas enarro.

Addita sunt appendicis instar paucula de Aviano.

Totum autem opusculum exceptis nonnullis, quae subinde adieci, prius in actis menstruis Ministerii Institutionis Publicae mense Maio prodisse scito. Insunt in eo quaedam nota pridem ac vulgata: nec tamen despero fore ut plerisque digna cognitu nec novorum expers inventorum videatur cura nostra. In qua, ut nihil aliud, certe brevitatem, Phaedri, de quo potissimum agitur, haud dissimilem approbabis.

Vale!

Dab. Petropoli
Kal. Iuniis a. MDCCCLXXIV.

Graecorum ac Latinorum auctorum ex libris cum iam per ipsam antiquitatem perissent quidam minime spernendi, partim abundantia bonorum scriptorum, partim incuria hominum, quae eo frequentior et gravior fuit, quo magis a saeculo inde tertio post Christum imperii Romani cives a priscis litterarum artiumque bonarum studiis degenerarunt, satis constat multo gravius factum damnum, postquam per continuas barbarorum incursiones everso imperio Romanorum occidentali, concusso gravissime orientali longa illa coepit aetas humanitatis studiis parum hercule aequa, quam medii aevi nomine vulgo solemus significare. Per eam quot eximii perierint libri, non est huius loci accuratius demonstrare, cum praesertim de re ipsa constet inter omnes.

Et gravior quidem aliquanto latinarum quam graecarum litterarum fuit iactura. Perinde tamen utraeque uno quodam incommodo conflictantur, de quo statim dicturus sum.

Nempe in satis magno Graecorum et aliquanto minore Latinorum numero librorum, qui pariter rerum ubertate et gravitate formaeque cura ac nitore sint conspicui, pauci admodum inveniuntur gymnasiorum usibus omnino apti. Etenim cum prudentissimus quisque artis paedagogicae arbiter ea maxime statuat in scholis esse tractanda pueris, quae pariter et viris futuris prosint et tenerae ipsorum aetati conveniant, quae quidem res minime fugit veteres, id quod apparet cum aliunde tum ex Quintiliani institutionis oratoriae libris (I, 1, 35 sqq.; ib. 8, 5 sqq.; II, 5, 18 sqq.), tamen perpauci videntur exstitisse apud Graecos et Romanos priscos, qui scholicae lectionis proprios in usus aut ipsi conscriberent libros aut ab aliis conscriptos mutarent (cuius sunt generis nonnullae syllogae sententiarum moralium ex poëtis potissimum petitae, ut monosticha Menandri vel Syri). Nam

ne illi quidem auctores frequentissimi post Alexandri Magni tempus, qui simul grammaticam et poëticam factitarent aut qui, ut Horatius noto carmine fecit, augurarentur fore ut aliquando in scholis scripta sua legerentur, ullo pacto sunt existimandi puerorum in usum ea accommodasse.

Iam ut omittam naufragio illo classicarum litterarum, de quo supra dixi, haud dubie etiam haustos esse libros multos, qui puerorum ad institutionem utiliores essent, quam plerique eorum qui exstant, vel ob id aliquanto graviore penuria scriptorum in gymnasiis tractandorum premimur, quia pueri nostri, qui non ut antiqui nativo utuntur sermone latino vel graeco, sed eum praeceptorum institutione paullatim cum magno labore percipiunt, retineri solent per aliquot annos elementis primis grammaticae et syntaxis graecae latinaeque discendis; quo tempore res ipsa fert, ut parum sint apti ad legendos antiquitatis scriptores eos, qui non utantur sermone quam maxime facili et expedito. Ob id ipsum non licet nobis, sicut in veterum scholis solebat fieri, lectionem puerorum incipere ab Homero et Vergilio, sed faciliores eidemque pretio aliquanto minores eligendi sunt, qui tractentur in inferioribus gymnasiorum classibus. Nam quod fuerunt, qui incommodo isti studerent mederi editis anthologiis, quibus exhiberentur decerpta ex diversis scriptoribus ea, quae puerorum recens imbutorum latini et graeci sermonis elementis inservire possent usibus, talia lectionis subsidia quamquam minime duco spernenda, tamen quam celerrime potest fieri continuum aliquod veteris scriptoris opus tractandum eis existimo. Multo quippe mihi videtur praestare accurata cognitio unius auctoris in certo quodam et uno argumento versantis et dictionis ac (si poëta sit) metri aequabilitate conspicui quam festinata illa diversissimarum rerum sermonumque saepe multum distantium perceptio, quae plerumque avocare solet statim ab initio teneros etiamnunc et molles puerorum animos a seriis et gravibus studiis. Numquam enim oportet oblivisci magistros praeclari illius dicti Pliniani, quo multum potius quam multa iubemur legere.

Quae cum ita sint, satis apto ac prudenti usi esse mihi videntur iudicio, qui tironum primos in usus elegerunt latinos quosdam scriptores, qui, cum ingenii non ita magna essent amplitudine aut altitudine, dictione uterentur facili nec aut

obscuritate sensuum aut verborum ambagibus impedita, quales sunt inter Romanos Eutropius, Nepos, Phaedrus. Ex quibus quamquam Eutropius minus nunc frequentatur in scholis quam olim, Nepos et Phaedrus nondum sunt depulsi suo honore neque facile depellentur, nisi forte, id quod vix licet sperari, novi prorsus et pridem cognitioni nostrae subducti ex bibliothecarum latebris recuperabuntur auctores, quamquam non defuerunt, qui utrumque loco, quem nunc obtinent in scholis, conarentur demovere, ut tamen ipsi non haberent, quae rectius possent substitui.

Et sane Phaedro (nam de hoc iam sermonem sum instituturus) adsunt multa, quibus scholarum usibus commendetur, etsi ne hunc quidem puerorum ad lectionem sua composuisse certo constat. Aliter sane res habet in Babrio, poëta Graeco, qui choliambis fabulas conscripsit Aesopeas. Hunc enim Brancho, regio puero, instituendo destinasse sua ipsius ex testimonio intellegitur. Sed ad Phaedrum ut redeam, quod in libri tertii prologo v. 20[1]) gloriatur se ut in Pierio monte h. e. in Macedonia et in vicinia Graeciae editum in ipsa paene schola esse natum, eo sensu scholam dixit Graeciam, quo Terentianus v. 1301 eandem vocavit magistram, h. e. omnium studiorum artiumque praeceptricem et exemplum. Quamquam potest etiam videri cogitasse de scholis poëtarum, quas memorat Martialis IV, 61, 3. Nam tales (de quibus et alii dixerunt saepe et ego pag. 11 libri de re metrica poët. latin.) ut apud Romanos fuerunt frequentes, etiam apud Graecos exstitisse sane quam probabile est. Et aperte ad scholas sive collegia poëtarum, quae erant in urbe Roma, respicitur v. 23 eiusdem prologi. Puerorum autem peritia latini sermonis parum provectorum aetati cur tam aptus esse videatur Phaedrus, hae potissimum sunt causae. Primum ipsa argumenta satis conveniunt aetati tenerae, cum praesertim additis plerumque per promythia sive epimythia sententiis moralibus secundum notum Horatii praeceptum (a. p. 343) utilitatem misceant iucunditati. Neque apud pueros, qui nec solent esse nec debent Aristarchi, multum nocebit Phaedro, quod interdum relatas exemplis Graecis res deteriore invertit narratione (cuius rei complura documenta in

[1]) In afferendis Phaedri versibus utor numeris editionis meae.

disputatione de fabula attulit Lessingius), quodque aliquando proprietatem praeceptorum moralium, quae insunt fabulis Aesopeis, parum perspexit (de quo dixit Raschigius pag. 3 prooem. ed. 2), aut quod fabulae ab ipso inventae alienae sunt saepe a rationibus ipsarum Aesopi fabularum, quem constat nunquam historica exempla sed aut ex mythologia petita (cf. Babr. 119, 11 ed. Lachmanni) aut ex vita bestiarum et plantarum proposuisse in usum mores humanos corrigendi sive castigandi. Accedit magna dictionis elegantia magnusque nitor, qualem expectes a tempore cultissimo quo vixit Phaedrus. Etenim prorsus a veritate aberrasse existimamus eos, qui multa parum concinne et eleganter vel adeo parum latine dicta apud Phaedrum reperire sibi viderentur. Quorum etiam in numero esse Godofredum Bernhardyum, hominem litterarum et Latinarum et Graecarum peritum admodum, satis mirari non possum, quamquam is omnino de fabulis Phaedri iudicavit iniquius.

Ac primum quidem considerandum est codices Phaedri, quotquot exstant, admodum esse corruptos, nonnunquam etiam interpolatos, quia per medium aevum eius carmina satis diligenter legebantur a monachis. Itaque ubicunque occurret in hisce fabulis soloecismus, qui lenissima mutatione apte possit tolli, nemo hercule dubitabit, quin vitium istud non ipsius auctoris sit sed librariorum. Nam hanc normam iudicandi nisi sequimur, et Cicero et Livius et praestantissimus quisque latine dicendi artifex reperientur multos commisisse eosque gravissimos soloecismos sive barbarismos. Veluti, ut hoc exemplo utar, cum in fabula 1 libri V, vv. 15, 16 optimis codicibus tradita essent haec:

Quisnam cinaedus ille in conspectu meo
Audet venire?

fuerunt qui ipsum Phaedrum arguerent, quod notam latinitatis legem in praepositione *in* violasset (sicut sane factum saepius a medii aevi scriptoribus), quamquam apud eundem legitur V, 8, 22: *in conspectum proditurum sine mora.* Tamen quis monitus poterit dubitare, quin recte feratur in codice Neapolitano, etsi est multo recentior Gallicis, *in conspectum meum*, cum praesertim appareat, quam facile in vocabulo *conspectum* omissa *m* finali, quia eadem sequebatur littera, potuerit oriri illud *in conspectu meo.* Similiter I, 9, 8 verba,

quae sunt *mortis in solacio*, exstitere qui dicerent dicta pro *in solacium*, ut *in* finem vel consilium significaret. Quis autem ignorat, quam saepe a librariis *um* et *o* finales sint confusae? Quamquam recte egisse videntur rem, qui scriberent cum Heinsio *mortis en solacium*. Nec vero ἅπαξ εἰρημένα aut plura aut audaciora habet quam plerique auctores Latini. Nec si semel bisve inveniatur apud Phaedrum soloecismus ipsi tribuendus, non librariis, aliud quidquam admisisse erit existimandus, quam quod quivis fere scriptor quantumvis praestans arte dicendi. Legitur apud eum I, 8, 7: *tandem persuasa est iureiurando gruis* pro *persuasum est grui* et III, 5, 8: *persuasus ille fecit* imitatione Graecorum, ut etiam alii quidam auctores boni dixerunt *persuasus sum* pro *persuasum est mihi*, v. c. Ovidius. Sed finge eum ita scripsisse sine exemplo, num ideo erit putandus ignorasse sermonem latinum? Nonne Horatius dixit *invideor*, ut φθονοῦμαι, nec minus *imperor*, ut ἄρχομαι? Et Marcus Varro, Romanorum sui aevi doctissimus, id sibi indulsit, quod pueri hodie non sine gravi poena committunt, *satisfacitur* ut diceret pro *satisfit*. Plura autem aliquanto quam apud reliquos omnes soloecismorum ac barbarismorum exempla apud comicos reperiri notum est, quorum quidem in hac parte audaciam minime imitatur Phaedrus, etsi ab horum pariter et satiricorum haud ita multum distat eius genus dicendi, quippe quod et ipsum (ut Horatii verbis utar) per humum repat et cotidianae vitae morem loquendi referre soleat.

Hinc etiam evenit, ut et aliquando dictiones plebeias et saepius adhibeat vocabula graeca (quamquam ipse append. fab. 28 Graecis inopiam verborum exprobrat), e. c. *cinaedus, pycta, xystus, basis, stropha, tribas, antidotum, melos, pegma, toxicum, triclinium, sophus, gymnicus, musicus* alia.

Vnam potissimum rem in dictione Phaedri dicas notabilem, quod saepe abstracta ponit pro concretis, ut I, 3, 16: *nec hanc repulsam tua sentiret calamitas* pro *tu calamitosus sentires*, aut I, 13, 12: *tum demum ingemuit corvi deceptus stupor* pro *ingemuit deceptus corvus stupidissimus*. Quae constructio cum admodum frequens sit apud hunc poëtam, etiam ibi hac usum eum probabile est, ubi suus etiam abstracto locus est.

Proprietatem autem istam dicendi (qua sane etiam multi

alii poëtae veteres ab Homero inde sunt usi sed minore, quam Phaedrus, exemplorum et frequentia et audacia) recte explicarunt, qui dicerent, cum Phaedrus fabulas suas potissimum castigandis corrigendisque moribus hominum destinasset, personas ipsius vix aliud, quam abstractorum instar esse.

Magna etiam laude afficienda est ars metrica Phaedri, quam tamen ut recte percipias, aut Bentlei editione utendum est aut mea. Ceteri enim omnes per inscitiam neglegentiamque codicum scripturas metro adversantes non modo non expulerunt sed novis insuper cumularunt erroribus.

Vna quidem re multum differunt Phaedri iambi ab Horatianis, quod secutus veteres poëtas scaenicos Romanorum, quorum in schola puer legerat libros (cf. epil. lib. III v. 34), usus est spondeo vel anapaesto etiam in paribus trimetri pedibus praeter ultimum. Qui nescio an maxime exemplo P. Syri mimographi, Caesari dictatori aequalis, qui et ipse carmina vitiis temporis sui castigandis destinavit, adductus sit, ut istam sibi indulgeret licentiam. Quam si ei condonaveris, fatendum est admodum diligentem et elegantem fuisse eum in componendis versibus, quorum artem accurate descripsi in praefatione editionis meae pgg. VIII—X et antea in libro de re metrica poëtarum Latinorum pgg. 411 sqq.

Qua quidem re vel sola refelluntur, qui crediderunt Phaedri carmina aut ultimis antiquitatis temporibus aut medio aevo atque adeo saeculo XV a Perotto esse composita, cum nemo aut hac aetate aut illa exstiterit, qui eadem metri arte, quam in Phaedro observamus, conscribere posset carmen vel unum.

Iam cum Phaedri versus plerumque sint perfaciles ad scandendum, vel ideo puerorum primis usibus videtur esse accommodandus, ut hoc exemplo usi prima cognitione artis metricae antiquae, quae neglecta observatione grammatici verborum accentus quantitates tantum respicit syllabarum, imbuantur eorum animi.

Quantum ad indolem poëticam auctoris huius, etsi vincitur suavitate ac simplicitate a Babrio, qui etiam alienus est ab acerbitate illa, cuius causa exstitit Phaedro malevolorum obtrectatio et tenuitas rei, exstant eius fabulae satis multae ab omni prope parte perfectae, quibus potissimum uti magistros scholarum in usum aequum est. Aliae aliquanto sunt

inferiores, neque tamen improbandae. Restant quaedam aut obscaenae aut inficetae, quae facile poterunt omitti, cum carminum cognitu dignorum satis amplus exstet numerus. Ceterum feliciore quam alibi vena poëtica in primo libro (qui etiam brevitate illa quam toties iactat poëta magis est conspicuus quam ceteri) usum esse Phaedrum apparet.

Promythia sive epimythia fabularum Phaedri suspiciones excitarunt criticorum haud leves. Et fatendum non multum eius carminum laudi decessurum, plurima vel omnia si tollantur. Tamen in dictione aut metro paucissimis exceptis nihil est, quod Phaedrum auctorem abneget; et ut sicca persaepe, ita raro admodum sunt inepta. Igitur plerumque adducor ut credam esse ea praeter paucula ipsius Phaedri, cui cur adderet duplicem existimo fuisse causam, primum iudicia aequalium criticorum de rationibus logi Aesopei, deinde Horatii praeceptum, quo asseritur omne tulisse punctum eum, qui utile dulci misceret. Omnino artis poeticae Flacci placita aliquanto magis quam creditur vulgo fuere observata primi p. Chr. sacculi poetis Latinis.

Haec ideo pluribus exponenda censui, quia ut olim in admiratione, ita hodie in contemptu huius poëtae multi sunt nimii, id quod in plerisque auctoribus latinis aestimandis evenit.

Phaedri fabularum fuisse quinque libros, non plures, Aviani, qui elegiaco metro etiam conscripsit fabulas latinas docemur prooemio. Neque quisquam alius veterum praeter Martialem (epigr. III, 20, 5) eius meminit. At medii aevi communi usu non ipsae fabulae Phaedri, sed paraphrases pedestri sermone ex pleniore earum codice ductae solebant teri, de quibus postea cum cura dicetur.

Nam ne nomen quidem eius ab Aviani inde aetate usque ad Perotti umquam memoratur.

Similiter Graecis aetatis eiusdem non tam ipsius Babrii, poëtae lepidissimi, fabulas sed earum varias variorum auctorum paraphrases esse lectitatas satis notum.

At saeculo XV medio fere Nicolaus Perottus ex codice quodam Italico triginta duas excerpsit fabulas Phaedri, quae etiam in libris Gallicis auctoris huius leguntur. Praeterea idem triginta unam vel potius triginta fabulas et epilogum, omnia senariis perscripta iambicis prompsit, quae non haben-

tur in Remensi libro ac Pithoeano. Et sane constat descriptos hos ex archetypo truncato, cum ex primo libro Phaedri quaedam perisse ipsius poëtae probetur verbis (prooem. v. 6), cumque secundi et quinti defectus ipsa paucitate fabularum indicentur. Perotti syllogen, quae etiam Aviani 36 fabulas continet, editam illam post a. 1458, hoc fuisse titulo inscriptam: *Nicolai Perotti epitome fabularum Aesopi, Avieni et Phaedri* codicis Neapolitani docemur testimonio. Eumque esse verum, ipsius Perotti ad Pyrrhum nepotem (cui instituendo has fabulas destinaverat) dato prologo apparet. Verba quippe eius sunt haec:

non sunt hi mei, quos putas, versiculi,
sed Aesopi sunt, Avieni et Phaedri,
quos collegi, Pyrrhe, ut essent utiles tibi.

Addita sunt ipsius Perotti epigrammata 45, de quibus etiam in praefatione agit. Ob id ipsum in codice Romano sylloge perperam inscripta ita: *Nicolai Perotti epigrammata et fabulae.* Omnia autem haec carmina nullo plane ordine permixta leguntur et confusa.

Perotti anthologiam, cum iam Orvillius usus esset ea, qui quae notarat ex ea Burmanno Maiori concessit, a. 1809 Neapoli primus edidit Cassittus ex codice Neapolitano, cuius tamen verba saepe legi non possent, 1811 Ianellus ex eodem, acerrima simul contentione orta, cum uterque laudem inventarum Phaedri fabularum, quae hoc codice continentur, traheret ad sese. A. 1831 Angelus Maius expletis ex Vaticano libro lacunis Neapolitani eas, quae non exstant in codicibus Gallicis, denuo edidit in classicorum e Vaticanis codicibus depromptorum tomo III; unde repetitae sunt proximo anno in supplemento Phaedri Orelliani. Alia autem apographa sylloges a Perotto factae praeter Vaticanum ac Neapolitanum non videntur exstare. Quo magis dolendum est, quod Maius non sustinuit denuo edere ex Vaticano libro fabulas codicis Perottini eas, quae etiam in libris Gallicis sunt, quoniam in scriptore, cuius tam pauci exstant codices, omnia undecumque colligenda erant subsidia critica.

In his potissima longe constat esse duos libros inter se simillimos in Gallia saec. X scriptos, Pithoeanum et Remensem, e quibus tamen Remensis anno 1774 incendio orto periit. Hi quin ex communi archetypo fluxerint, non est

dubium. Cuius quidem auctor ex codice pleniore videtur eas Phaedri elegisse fabulas, quae ipsi maxime dignae cognitu viderentur. Aliquanto minoris est pretii charta Danielis, saeculi XII, quae partem satis parvam fabularum libri primi continet, neque caruit interpolatoris audacia, ut tamen et ipsa aliquot egregias suppeditet lectiones. Ceterum de his codicibus accuratius disserere non est in animo, ne nimis exspatientur dissertationis meae fines, cum praesertim omnia ad accuratiorem eorum peritiam pertinentia inveniantur in Orelliana Phaedri, editione anni 1831, et in addita proximo anno appendice.

Sed longe pluribus de Perottini codicis fabulis et de paraphrasi Phaedri pedestri, quae medio aevo provenit, mihi video agendum, quippe de quibus vel hodie hominum doctorum in diversissimas partes abeant iudicia.

Quam partem disputationis antequam aggrediar, ut magnis laudibus mihi est efferenda Ludovici Rothii diligentia et sollertia, qui in Philologi I, 523 sqq. de eadem re egit, ita male imprecandum neglegentiae et ignorantiae Hermanni Oesterleii, qui in libro Berolini a. 1870 edito, cui inscriptum est „Romulus. Die Paraphrasen des Phaedrus und die Aesopische Fabel im Mittelalter“, nihil protulit, quod quaestionem propositam expediret. Quid quod idem ne novit quidem dissertationem Rothii? Quamquam etiam in hac haud pauca insunt quae aliter scripta vellem.

Itaque primum est memorandum videri Perottum usum codice Phaedri quinque etiam libris constante nec dissimili eius, ex quo pedestres poëtae paraphrases fluxisse infra docebo.

Ei utrum fuerit auctoris vel Aesopi vel Phaedri nomen additum necne non satis constat. Nam quod dicit Perottus Aesopi, Avieni et Phaedri esse fabulas, potuit ideo addi ab eo Aesopi nomen, quia hic a Phaedro pariter et Aviano dicitur auctor et inventor huius generis studiorum. Sed enim ne Phaedri quidem mentione ab eodem Perotto facta certo probatur fuisse eius nomen in codice fabularum quo usus est ille. Nam idem ex praefatione Aviani potuit depromi a Perotto. Ac tamen magis adducor ut credam fuisse Phaedri nomen in Perottini codicis archetypo positum. Minus certe fuit causae cur hic omitteretur, quam cur omitteretur a paraphraste.

Aviani fabulas ex eodem codice, unde Phaedri, sumptas esse a Perotto non potest demonstrari. Et multa tum exstabant illius exemplaria.

Ceterum codicem, quo Perottus usus est, admodum fuisse mutilum pridem intellexere docti. Nam defuere ei praeter alia carmina nonnulla totus liber I, libri II fab. 1—5; IV, 1—19; V, 6—11 (ed. Orell.)[1]. Notandum praeterea in charta illa omnia ea videri defuisse, quae ad vitam et aetatem ipsius Phaedri illustrandam pertinerent, neque quidquam servatum ex prologis et epilogis, nisi quae ad quemvis fabularum scriptorem possent trahi. Cuius rei aliud indicium quam maxime notabile hoc est, quod in narratione rei, quam sua aetate actam asserit Phaedrus III, 10, v. 39 *a divo Augusto tunc petiere iudices* ita legitur immutatus: *pontificem maximum rogarunt iudices.* Hanc enim interpolationem indignam Perotto et ex archetypo eius codicis ductam plane adsentior Rothio (pg. 534, n. 11). Similia mox in paraphrasi Phaedri fabularum observabimus. Prologo autem Perotti in ipsius usus conversa continentur quaedam ex prooemiis l. III, IV, V Phaedri, ut in prologo paraphrastae ex libro III eiusdem petita et ex magna parte eadem occurrunt. Neque hoc indignum memoria, videri et Perottum et paraphrasten usum codice Phaedri tali, in quo epilogi libri II primi tantum quattuor versus essent. Itaque paraphrastes ut supra dixi videtur esse usus libro non ita diverso ab archetypo anthologiae Perottinae. Nec vero omittendum, quaedam in libris Pithoeano ac Remensi corrupta rectius scribi pariter in paraphrasi ac membranis Perotti (cf. Roth. pg. 535; ib. not. 13).

Praeterea notandum in codice Perottino promythia sive epimythia metrica Phaedri deesse exceptione vix ulla facta, qualem sane habes app. 12, 7. Ea pedestri sermone praeposita sunt ipsis poëmatis.

Fuit autem codex, quo usus est Perottus, plane ut Danielis non spernendus, inferior tamen aliquanto et Remensi et Pithoeano. Nam neque interpolationibus neque corruptelis caruit, quorum numerus est auctus Perotti culpa, qui partim levitate inductus, partim cupiditate vitiosa sanandi, partim imperitia rei metricae prioribus vitiis nova addidit. Itaque

[1]) Cf. Roth. l. m., pg. 533.

non potest esse mirum, quod in fabulis solo Perotti codice servatis saepius quam in ceteris gravioribus est opus remediis.

Vix memoria sunt digni loci plurimi, ubi sensu integro una duabusve litteris aut immutatis perperam aut additis sive subtractis versus lex perierit, ut 4, 12; 7, 5; 8, 28; 31; 9, 12; 10, 12; 15, 3; 8; 18, 16. Sed graviora ut afferam, habes bis terque nullo cum respectu metri verba synonyma temere substituta ut 5, 15 *quisque* pro *quis*, 6, 13 *castigate* pro *cohibete*, 11, 2 *Aesopus* pro *Phryx sophus*, 4 *suus* pro *eius*, 12, 4 *ait* pro *inquit*, 13, 19 *uriturque* pro *et uritur*, 26, 1 *celeri pede* pro *celeripes*, omissas in compositis praepositiones ut 14, 12; 28, 9 *ferre, vocat* pro *referre, revocat;* abiecta verba, quae sine sensus damno possent praeteriri, ut 3, 1 *olim*, 5, 6 *esse*, 8, 17 *quin*, 13, 17 *et*, 26, 3 *oro*.

Haec tamen ac talia, quae plerumque Perotti ingenio, crasso illi, sed verecundo, adscribenda existimo, vix mediocrem fallent criticum.

Fabulae illae XXX solo Perotti libro prostantes utrum essent Phaedri necne, per multos annos plurimis acerrimisque doctorum hominum contentionibus est anquisitum. Mihi quid de hac re videatur, breviter exponam.

Ac primum quidem quod ad argumentum, magnam esse similitudinem inter has fabulas et eas, quae sunt haud dubie Phaedri, apparet. Non enim tales tantum, quales Aesopi exemplo scripsisse supra memoravi Phaedrum, sed quales alienae ab Aesopo et Phaedri sunt propriae, ex historia petitae aut certe fabuloso carentes argumento, inveniuntur in Perottinis. Huc pertinet carmen 25 de Socrate (de quo etiam historia refertur III, 9), c. 8 de Pompeio Magno eiusque milite, c. 13 de muliere vidua et milite (quae ex Petronii satura notissima est narratio), c. 14 de sponsis divite et paupere. Cum his comparandae Phaedri fab. II, 5; III, 10; IV, 22; ib. 25. Cf. etiam app. 27 cum Phaedr. II, 2; III, 8. Etiam narratiunculae e vita Aesopi petitae in appendice iuxta atque in ceteris opusculis occurrunt. Denique cum fab. app. 5 apte conferri poterit Ph. V, 8. Contra adsunt quaedam fabulae in codice Perottino, quarum exempla prorsus similia in ceteris fabulis non occurrant, ut 2; 6. Argumenta tamen harum, quarum altera asseritur homines multis rebus cedere bestiis quibusdam, altera ne divino quidem monitu nos ad rectam

et prudentem vitam posse cogi, nec alias infrequentia veteribus. Praeterea in appendice leguntur duae fabulae (20 et 28) simpliciter ex historia naturali petitae, ex quibus altera, quae est de fibro, etiam apud Aesopum s. n. 189 ed. Halm. extat.

Has tamen quas memoravi diversitates equidem non arbitror esse tanti, ut abiudicemus appendicem a Phaedro; id quod ne ea quidem re effici reor, quod critici inferiores reliquis eiusdem auctoris poëmatis esse fabulas has saepe dixerunt. Primum enim etiam in appendice insunt quaedam fabulae egregiae et ab omni prope parte perfectae ut 1, 7, 11, 12, 16, 18, 24, 25. Praeterea in haud dubiis Phaedri fabulis multa minus propitio Apolline esse scripta consentitur. Accedit quod fabulae novae illae utique ex libris a tertio inde Phaedri sunt petitae, qui virtutibus poeticis cedunt primo, partim quia fractus calamitatibus Phaedrus minore erat quam ante ingenii alacritate, partim quia in isdem aliquanto minus iam Aesopi observabat exemplum. Porro eum, cuius est appendix, etiam ipsum fuisse tenui fortuna fautorumque indigum apparet carm. 12, quod in memoriam revocat Ph. III, 12; nec eundem minores Phaedro gessisse spiritus probatur epilogo. Denique similis in utroque acerbitas.

Quantum ad dictionem, primum brevitatis studium in utraque fere sylloge apparet. Deinde si manifestos quosdam Perotti errores correxeris, nihil puto reperiri, quod aut alienum sit a latinitate aut indignum Phaedro. Quin etiam notabiles nonnullae Phaedri, hominis in dictione satis sibi constantis, proprietates dicendi recurrunt in ipsa appendice, ut 1, 1 *simius* pro *simia* (I, 10, 6; 8), 6, 4 *religio* instar numinis adhibita (IV, 11, 4; I, 27, 6), 6, 14 *turpi stupro* (III, 10, 17), 8, 13 *castrorum dedecus* (I, 21, 11 *naturae dedecus*). *quaeque* pro *utroque*, (I, 24, 8 *quis* pro *uter*), 3, 13 *validius* (IV, epil. 9), *mehercules* (III, 17, 8), tota adeo hemistichia 15, 3 *vestem, uniones* (IV, 5, 36), 23, 6 *praedam dimisit* (V, 10, 6), 30, 3 *forte occucurrit* (III, 7, 3). Graecorum vocabulorum pariter atque deminutivorum usus in appendice ut in reliquis fabulis frequens. Vt abstracta pro concretis posita aliquanto rarius inveniantur in ea, hac sola, ut puto, evenit causa, quod apud Perottum fabularum Phaedri promythia sive epimythia paene omnia pedestri sermone sunt mutata.

Denique metrica ars appendicis fabularum tam similis

est Phaedri quam lac lactis, quamquam haud raro fuit turbata et eius culpa, qui scripserat codicem, unde Perottus sua excerpsit, et magis ipsius Perotti, hominis metricae Phaedri ignarissimi. Cuius rei in exemplum (quamvis vix opus sit exemplo) sufficiet adscribere initium prologi a Perotto ad Pyrrhum nepotem dati:

> non sunt hi mei, quos putas, versiculi;
> sed Aesopi sunt, Avieni et Phaedri;
> quos collegi, ut essent, Pyrrhe, utiles tibi,
> tuaque causa legeret posteritas
> quas edidissent viri docti fabulas.

Sed ut recte de metrica harum fabularum iudicetur, meam omnino editionem adhiberi oportet, cum in prioribus plurimi idemque gravissimi occurrant errores; nec enim Bentleius his fabulis, quas nondum noverat, auxilii quidquam attulit.

His rebus omnibus perpensis primum quidem procul removebimus suspicionem illam, qua ducti nonnulli crediderunt, hanc appendicem aut ab ipso Perotto aut medio certe aevo esse conscriptam. Nemo enim illis temporibus dictionis metrorumque elegantiam ac sinceritatem, quam fabulis illis adesse vidimus, potuit aequare. Neque magis licet eas tribui ultimis antiquitatis saeculis, ut apparet exemplis Ausonii aliorumque poëtarum, qui aetate illa conscripserunt iambos eadem podica libertate, qua Phaedri, insignes. Quodsi Frontonis tempore aut saec. III essent conscriptae, haberent utique archaismos quosdam, quibus plane carent.

Restat, ut statuamus eas saec. I aut ab ipso Phaedro aut a sectatore eius compositas. Quodsi ab admiratore quodam eius et aemulo profectae sint, dicendum erit eodem casu Phaedri fabulis eas additas, quo syllogae heroïdum Ovidii haud paucae sunt admixtae, quas Augusti vel Tiberii tempore ab Ovidii imitatoribus compositas esse constat. Vix tamen credo rem ita se habere, quoniam Phaedrus, ut ipse queritur, plures obtrectatores quam admiratores invenit inter aequales. Neque aut Seneca aut Quintilianus (dial. XI, 8, 3; inst. or. V, 11, 19 sqq.), ubi de fabulis agunt Aesopeis, eius iniecerunt mentionem. Itaque satis certo poterit affirmari appendicem fabularum Phaedri ipsius esse Phaedri; et adeo in hac sententia acquiescendum. Nec Lachmannus videtur dubitasse de auctore eius Phaedro; cf. quae scripsit comm. Lucr. pgg. 196; 227.

Quod dixi in praefatione editionis meae pg. VI videri Perottum usum apographo mutilato codicis archetypi librorum Remensis ac Pithoeani, tum confecto, cum esset integer ille, etiam nunc probabile esse existimo, excepto quod iam mihi est persuasum libros Gallicos non ex eo ipso, unde Perottini archetypus, descriptos codice, sed ex anthologia inde decerpta. Perinde enim et in Perottino codice et in Gallicis saepe metrum fabularum est eversum mutato temere ordine verborum. Etiam hoc notandum, quod in hemistichio *forte occucurrit*, quod commune est fabulae 7 libri III et 31 appendicis, pariter Gallici libri et Neapolitanus habent *occurrit* pro *occucurrit*, ut etiam in Vaticano Perotti codice eandem lectionem exstare persuasum habeam, cum praesertim constet Maium saepe in referendis lectionibus codicum ab ipso adhibitorum satis magna usum levitate.

Iam dicendum de pedestribus Phaedri fabularum enarrationibus, quibus multo magis quam ipsis eius scriptis usi sunt medii aevi homines docti. De his cum nondum quemquam satis recte iudicasse existimem, mihi quidem ita videtur statuendum. Itaque antiquissima et quae proxime accedat ad exemplum Phaedri ea fabularum est sylloge, quae quinque libris constans ad exemplum Phaedri non tota quidem, sed ex magna parte tradita est codice Wissemburgensi, nunc Guelferbitano, qui saeculi X initio est conscriptus. Eius auctor, quia praeter Phaedrum etiam aliis fontibus erat usus, Aesopi nomine totum fabularum corpus inscripsit omisso nomine proprio. Ob id ipsum (nec enim fraude id puto factum) historias a Phaedro relatas, quae aperte alienae essent ab Aesopo, omisit omnes; aut si admisit, subtractis nominibus. Id maxime apparet ex narratione de leone gratias referente homini (III, 1), qua respicitur historia notissima de Androclo (cf. Senec. de benef. II, 19; Gell. noct. Att. V, 14), quam Caligula imperante evenisse scimus. Et notum est Phaedrum aliquotiens suo tempore acta referre. — Praeterea carmina, quibus de se potissimum loquitur homo sanequam amans sui, aut omissa sunt a paraphraste, qui tamen nonnullis eorum, quae sunt in prooemiis libri I et III, utitur in prologo et V, 6, aut immutata, semel cum magna socordia. Nam ex Phaedri III, 12, 8: *hoc illis narro qui me non intellegunt*, fecit paraphrastes: *haec illis Aesopus narrat, qui*

me non intellegunt (apud Romulum est omissum *me*, in Wissemburg. legitur *tibi — intellegis*). — Simillima neglegentia, ut obiter hoc moneam, I, 9 idem, id quod ex Romulo cognoscitur, servavit Phaedri I, 19 haec:

quas ut vitemus versus subiecti monent.

Apparet autem in Wissemburgensi V, 6 alieno nunc loco esse positum, statimque cum sequente fabula post prologum collocandum, ut sit alter prologus ad lectorem. Quo utique corruptissimo respicitur prooemium libri I Phaedri, ut fabula, quae sequitur, ducta ex Ph. III, 12 imitatus est anonymus initium libri tertii. Praeterea, ut testatur Oesterleius pg. 88, magna pars prologi in eodem bis scripta legitur V, 8; quae quidem hoc loco expungenda est. Finem totius sylloges facit narratio de statua Aesopi.

Latinus Aesopus, paupertate ingenii ductus aevique, quo vivebat, rusticitate, servavit plerumque dictionem suorum fontium, ita tamen, ut quae ipsi viderentur nimis poetica ornatu suo privaret.

Vsum autem esse anonymum ipso hoc codice antiquissimo, ex quo ducti sunt Phaedri libri, nondum truncato illo aut abbreviato, compluribus corruptelis, quae communes sunt Aesopo latino et membranis Gallicis vel Perottinae fit probabile. Legitur Rom. I, 1 *in sterquilinio*, ut Ph. III, 12, 1; II, 7 *laudasti quod fuimus, et iam* (*etiam* Wissemb., Rom. *nunc*) *damnas quod sumus*, ut Ph. V, 10, 9 *quod fuimus laudas, iam damnas quod sumus;* IV, 3 ubique *lupus*, ut in inscr. fab. Perott. 26; V, 10 cd. Wissemb. *plecteret* ut Ph. V, 9, 3; 32 fab. Nil. *trivio contentus* (potius *conceptus*) *et in stercoribus educatus* ut Ph. I, 27, 11 *trivio conceptus et educatus stercore.* Neque dubito, quin etiam saepius mendosarum communio scripturarum in Phaedri codicibus et Aesopo Latino possit commonstrari, acrius si rimere. — Nec desunt loci, ubi ipse anonymus corruperit Phaedri versus. — Idem tamen non raro affert medelam depravatis poetae verbis.

Dixi modo non solo Phaedro esse usum auctorem anonymum Aesopi Latini; idque ipse testatur, cum dicit in prologo: *nam veteres et paucae olim fuere fabulae, sed, ut maius fieret corpus, adieci ex me novas, aperte et breviter scriptas.* Similiter V, 6 idem: *fabulas ut potui adieci insuper novas, ut*

maius corpus fieret. Quae etsi in mentem revocant ea, quae de se testatur Phaedrus l. IV, prol. 10—13:

> quoniam caperis fabulis,
> Quas Aesopias, non Aesopi nomino,
> Quia paucas ille ostendit, ego plures fero,
> Vsus vetusto genere sed rebus novis:

docet tamen res ipsa non ex servili Phaedri imitatione, sed pro vero rerum statu paraphrasten illa de se praedicasse. Nec vero id significatur hisce verbis, proferre hominem istum fabulas proprio ingenio inventas. Nimis quippe stultus est compilator. Sed de fontibus Aesopi Latini antequam agamus, quae rationes intercedant inter auctorem sylloges Wissemburgensis Romulumque et anonymum Nilantianum breviter exponendum est. Itaque sic habeto: fuit corpus quoddam fabularum Aesopi ex compluribus auctoribus latinis conflatum antiquo admodum medii aevi saeculo, inscriptum illud ut memoravi Aesopi nomine datumque ad Rufum quendam. Ex hoc opere, quod periit, nusquam iam inspecto Phaedri exemplo sua traxere pariter anonymus Wissemburgensis et Nilantianus ac Romulus. Horum enim syllogas ex uno fonte fluxisse non modo fabularum ipsarum maiore parte ac dictione earum, sed ipso comprobatur ordine haud paucis locis plane congruente, ut ex tabula quam proposuit Rothius pg. 545 facile apparet. Prima autem series corporis illius atque adeo tota forma fidelius quam alibi servata est sylloge Wissemburgensi, excepto quod quaedam ex initio libri in finem perperam translata supra memoravi.

At anonymus Nilantianus omissis praefatione ac librorum distinctione et epilogo (cf. Roth. pg. 524, 25) fabulas solas reddere satis habuit, sed verba ipsa fontis ex parte certe maiore cum fide quam anonymus Wissemburgensis repraesentavit. Idem ut omisit corporis antiquissimi fabulas haud paucas, ita addidit, quae apud Romulum non inveniuntur. Contra pudendo furto Romulus quidam syllogen quae hucusque sub Aesopi nomine ferretur sibi arrogavit hactenus, ut fingeret Aesopi librum hunc a se ex Graeco sermone in Latinum translatum. Simul arreptum prologum utrumque et hic illic mutatum prooemii loco posuit, quod inscripsit Tiberino filio. Huius nomen a monachis medii aevi nonnumquam est detortum in Tiberii, sicut Romulus interdum ab isdem creditus

imperator ille ultimus urbis Romae (similis erroris exemplum notat Oesterleius pg. 21). Contra priorem praefationem anonymi, ad Rufum quae esset data antiquitus, integram ut videtur in calcem operis coniecit. Vsus autem est anonymi Aesopo tam imprudenter, ut crederet, Aesopum esse civitatis Atticae; quamquam fuit hic error fortasse ipsius anonymi; cf. V, 11 ed. Wissemb. Quo facilius fraus lateret, quinque antiquissimi corporis libros redegit in quattuor et ordinem fabularum haud raro ac saepius multo dictionem immutavit. Eundem omisisse fabulas quasdam corporis antiquissimi satis constat. Nam etsi ex duabus, quas adicit codex Wissemburgensis, fabulis, V, 9 et 10, priorem etiam in codice Divionensi Romuli inventam a Gudio testatur Burmannus, et adeo utramque in codice quodam Vindobonensi Romuli reperiri narrat Aemilius Grossius ann. philol. a. 1872 pg. 790, tamen anonymi Nilantiani sylloge satis probatur in antiquissimo corpore fabularum Aesopi plures fuisse quam in Romuli. Contra vix credo ab ipso Romulo undecumque fabulas adiectas novas. Quapropter maxima Romuli vel potius unica haec est laus, quod dictionem Aesopi antea crudam et salebrosam paulo reddidit commodiorem et faciliorem legentibus.

Apparet ex hisce antiquissimum illud corpus fabularum auctoris anonymi non posse restitui nisi coniunctis et compositis anonymi Wissemburgensis ac Nilantiani pariter ac Romuli syllogis, quamquam ne sic quidem integrum licere reponi mihi persuasum est.

Continentur autem libro Wissemburgensi fabulae 59, Nilantiano 67, Romuli 84, in quantum constat (nam ut dixi Wissemburgensis V, 9 et 10 in illius codice Vindobonensi prostant). Omnes omnino fabulae numero 99. In libro Wissemburgensi nulla est, quin etiam apud Romulum reperiatur; contra apud hunc XIV, apud anonymum Nilant. XV inveniuntur propriae alterutrius, porro undecim propriae utriusque.

De fontibus autem harum fabularum cum cura exposuit Rothius, cuius inventorum parte utimur. — Igitur primum apparet novem fabulas (Rom. IV, 11—19) ex Dosithei (qui vixit saec. p. Chr. III initio) interpretamentorum libro III assumptas. Neque indignum memoria in codice Wissemburgensi epimythium fabulae de corvo et vulpe ex eiusdem fabula (9) petitum. Praeterea fabulas circa 50 ex Phaedri carmini-

bus, quae libris Pithoeano ac Remensi vel Perottino servata sunt, ductas esse sat constat. Et notandum librum Phaedri aliquanto saepius adhibitum quovis reliquorum. Contra non recte credidit Rothius Rom. IV, 9 ductum ex Phaedri IV, 4; nam paraphrasi expressa est fabula, quae propius longe quam Phaedri accederet ad exemplum Graecum, quod habes in Aesopo Halmii s. n. 175, 76. Neque Rom. I, 4; IV, 10 ex Phaedri I, 17; I, 11 ducta existimem. Sciens autem omitto leviora quaedam discrimina quae inter Phaedrum et paraphrasten intercedunt. Haec enim potuerunt oriri, quia aut augeri explicarique vellet quae leguntur apud Phaedrum, aut sensum huius parum intellegeret, aut ut paganorum superstitionis vestigia tolleret sive sententiae morali, quam ipse optimam iudicasset, adaptaret fabulam propositam. Ex fabulis, quarum fontes non extant, haud dubie pars sumpta de Phaedri exemplari pleniore; id quod ipsa non raro indicat dictio. Iam quanquam difficile potest diiudicari, quae ex hoc fonte ductae sint, quae aliunde, tamen breviter indicabo, in quibus potissimum Phaedri indolis vestigia agnoscere mihi videar. Sunt igitur hae, diversi sane et ipsae pretii: Rom. I, 3; 12; 16; 17; 18; 19; II, 9; 10; III, 1; 4; 5; 13; 14; 16; IV, 8; 20; anon. Wissemb. V, 9; anon. Nilant. 34; 36; 58.

Atque adeo unius ex illis qui fuerit olim locus in integro exemplari Phaedri videor mihi posse demonstrare. Nempe quod fertur promythium carm. 13 l. IV:

utilius homini nihil est quam recte loqui:
probanda cunctis est quidem sententia,
sed ad perniciem solet agi sinceritas;

apparet nullo modo pertinere ad fabulam de leone regnante, cuius argumentum rectius multo fertur apud Romulum tale: (verum) *et loqui poena est et tacere tormentum* (coram potentibus). Et perstrinxit Phaedrus aperte aulicorum vitae pericula. — Contra versus illi, quos supra adscripsi, quin aptissime praeponantur fabulae de hominibus fallaci et veraci coram simiarum rege verba facientibus (Rom. IV, 8), nemo puto dubitabit. — Ceterum promythium illud iam olim suo ex loco translatum in alienum apparet ex eis, quae in codice Wissemburgensi praemissa sunt fabulae de leone.

Ceteras fabulas quia aut ineptae vel elumbes aut verbosae nimis aut fictae parum prospere ex aliis videntur, a Phaedro

alienas existimo. Qui quanquam ipse haud raro eiusdem vel similis argumenti complura exhibet carmina, tamen minime tam inepta solet proponere quam sunt Romuli IV, 7, an. Nil. 30, quae ficta ex Rom. I, 19, Ph. I, 13.

Ceterum alienae a Phaedro fabulae pedestres quin hic illic aliquid ex eius fabulis traxerint, maxime in promythiis, non intercedo. — Contra, ut obiter haec notentur, quoniam sunt haud inutilia, quod nonnulli dixerunt in fabulis ex Phaedro expressis initia maxime solere accuratius referre eius verba, ex parte verum est; sed enim non rarius aliter habere rem perinde constat. Atque ut alibi ita etiam in promythiis anonymus Wissemburgensis saepe fidelius servavit Phaedri exemplum quam ceteri.

Huius autem saepe verba, aliquando hemistichia sive versus auctor paraphrasis fideliter admodum repetiit suis fabulis. Et sane ex metris Latinis senarii Phaedri et comicorum quam proxime accedunt ad sermonem pedestrem. Hinc etiam interdum corruptos Phaedri locos ex paraphrasi licet emendari, cuius auctor sane alias deceptus est ipse falsis proprii Phaedri lectionibus. Tamen multo utique potiores sunt ad restituenda Phaedri verba libri Pithoeanus et Remensis atque adeo Perottinus. — Proxime autem ad Phaedri exemplum in libri primi certe fabulis plerisque accedit ea paraphrasis, quam Nilantianus anonymus exhibet, qui alias Romuli quam anonymi Wissemburgensis est similior; cf. Gross. l. m. pg. 782. Eadem et interdum maiore fide est sylloge Wissemburgensis, cuius sane aliquanto maius esset pretium, nisi et a scriba imperito admodum ac neglegenti esset exarata et interpolata a librario saec. XI, qui Romuli potissimum usus libris antiquam scripturam saepe delevit ita, ut recuperari nullo pacto iam possit. Cf. Oesterl. pg. 14.

Ceterum cum Romuli libri neque ex Wissemburgensis neque ex Nilantiani auctoris sylloge sint ducti, sed ex communi fonte, hoc est ex corpore fabularum antiquissimo, cui inscriptum fuit *Aesopus ad Rufum*, non potest esse mirum, quod vel hi interdum propius accedunt ad Phaedri exemplum quam uterque anonymus.

Quantum ad aetatem eius qui composuit Aesopum Latinum, summa eius infantia videtur indicari fuisse eum Merovingiorum tempore. Romulum, qui ut supra memoravi ano-

nymo quendam cultum orationis addidit, existimo esse aetatis Carolingicae. Anonymi Wissemburgensis aetas definiri nequit. Nilantianum certe post Romulum fuisse apparet.

Illius syllogen inscriptione ac subscriptione omni carentem (cf. Roth l. m. 524, 25) ex codice Vossiano saec. XIII accurate admodum, ut pro illis temporibus, primus edidit Nilantius Lugduni Batavorum a. 1709.

Fabulae Romuli prioribus saeculis saepe, nuperrime sunt editae ab Hermanno Oesterleio, Berolini a. 1870, qui tamen excepto quod codice egregio quodam Musei Britannici usus est nec minus codice Wissemburgensi (de quo primum accuratius egit a. 1844 Ludovicus Trossius epistula ad Iulium Fleutelot) nihil bonae frugis contulit Romulo. Nam ne Nilantiano quidem anonymo satis est usus. — Optandum est igitur, ut quam primum prodeat paraphraseon Phaedri pedestrium recensio cum peritia Latini sermonis et usu rei criticae facta. Praeterea novo editori anquirendae erunt membranae aut apographi Wissemburgensis similes, qualis est Oxoniensis saec. XIV, quam memorat Oesterleius pg. 22, aut Romuli quam plenissimae et integerrimae, inter quas haud erit neglegenda Vindobonensis illa, de qua dixit Grossius pg. 790.

Ceterum quae in calce libri additae sunt ab Oesterleio fabulae, a Romulo et anonymis duobus alienae, nihil plane conferunt ad emendanda vel supplenda Phaedri scripta.

Fuerunt a Gudii inde tempore multi, qui fabulas anonymi Wissemburgensis aliorumque curis servatas, quia ex parte haud dubie essent Phaedri, in versus coactas proponerent. Quibus omnibus propter nimiam metrorum imperitiam cessit res infelicissime, cum tamen plerumque facili opera possent versus elici digni Phaedro. Nam adeo haud ita raro ut in fabulis, quae sub Aesopi nomine feruntur, Graecis Babrii, ita apud Romulum et ceteros Phaedri integri vel certe dimidiati trimetri servati sunt. Cuius rei exempla afferre liceat tria, in quibus superiorum aetate criticorum probabilia commenta non mutavi, vitiosa correxi.

I.

Gladius et viator.

Gladium viator media proiectum via
Invenit et rogavit: quis te perdidit?
Cui telum: me quidem unus, at multos ego.
Pereat prius quam, multis exitio est nocens.

II.

Asellus et bos.

Asellus et bos uno sociati iugo
Plaustrum trahebant. Bos dum tendit validius,
Cornu confregit. Asinus immotus gravi
Consortis casu praestat nil levaminis.
Confectus onere nimio bos ut corruit,
Asino bubulcus carnem imponit mortui.
Auritus plagis mille fractus deficit,
Et exspiravit media collapsus via.
Tum volucres advenientes ad praedam novam:
Si te precanti mitem exhibuisses bovi,
Non immaturo nos interitu pasceres.

III.

Culex et taurus.

Culex cum taurum provocasset viribus,
Venere populi cuncti, ut pugnam cernerent.
Tunc ille: satis est, quod venisti comminus;
Par tibi sum factus nempe iudicio tuo.
Hinc se per auras sustulit pinna levi,
Lusitque turbam et tauri destituit minas.
Qui si fuisset validae cervicis memor,
Pudendum contempsisset adversarium,
Nec inepta se iactasset gloriatio.
Sibi ipse obtrectat, qui se indignis comparat.

Harum fabularum apud Romulum, qui primam exhibet, et anonymum Nilantii, qui secundam et tertiam, descriptiones, hic illic a me correctae, inveniuntur hae:

I.

Gladium viator, dum ambulabat, iacentem invenit in via. Quem interrogavit: quis te perdidit? cui contra telum: me quidem unus, ego vero multos. — Haec fabula narrat malum posse perire, sed ante multis nocere posse.

II.

Asellus et bos uno sociati iugo trahebant. bos, dum conatur paullo validius intendere, fregit cornu. asellus ipse negabat ullum levamen afferre. solus attamen bos cornu *integro nitens* corruit et confestim mortuus est. asinum bubulcus carne bovis exaggerat. qui multas inter plagas ruptus

pondere cecidit et exspiravit media collapsus via. tum volucres advenientes ad praedam convolant dicentes: si te precanti mitem exhibuisses bovi, non iam immaturo nos interitu pasceres tuo.

III.

Culex cum taurum provocasset viribus, venerunt populi cuncti, ut spectacula cernerent. tunc parvus culex: satis, inquit, habeo, quod venisti comminus. par tibi factus sum iudicio tuo. hic se per auras sustulit penna levi, lusitque turbam et tauri destituit minas. quod si fuisset validae cervicis memor, pudendum contempserat inimicum et inepta materia non fuisset gloriationi. — Quia ille famam sibi diminuit, qui se indignis comparat.

Editionum Phaedri numerus cum prope sit infinitus, tamen, ut fit, quae momenti sint gravioris ad emendandas vel explicandas eius fabulas, satis exstant paucae. Nam etsi Pithoeus, Rigaltius, Gudius multa vitia in eis latentia sustulerunt, nec minus Nicolaus Heinsius, criticorum gentis Batavae facile princeps, tamen omnes accuratiore metrorum Phaedri peritia destituebantur, ut vitiosa haud pauca non modo relinquerent eius versibus, sed adeo inferrent.

Horum conatibus caliginem induxit Richardus Bentleius, qui primum anno 1726 in appendice Terentii edidit Phaedrum notis criticis instructum, quae recensio aliquoties typis est repetita. Hic igitur vir, siquis alius metricae antiquae et Graecae et Latinae peritus ille, primus de arte versuum Phaedri recte iudicavit, nec minus alia multa in eodem scriptore primus apte constituit. Notandum tamen est eum non eadem assiduitate curae quam Terentium et Horatium pertractasse Phaedrum, sed cum quadam festinatione, ut etiam pedestribus fabularum enarrationibus parum uteretur. Qua causa evenit, ut minus sane, quam potuit, praestaret Phaedro. Praeterea, quod aliquanto peius est, insecuti aetate critici ut in Terentio et Horatio ita in Phaedro aut noluerunt aut nescierunt uti Bentleii inventis, cuius rei luculentissimum testimonium praebent editiones Burmanni et Schwabii, in quibus tamen inest larga silva observationum undecunque collectarum, quae ad emendanda sive illustranda Phaedri scripta pertineant. Bothius, ut plerisque scriptoribus, quos edidit,

ita Phaedro aliquid praestitit utilitatis. Quanquam multo plura potuit praestare eidem, nisi necessitas festinandi nimia hic ut ubique obstitisset eius ingenio.

Ceterum cum sensim peritia Phaedri codicum et lectionum antiquitus traditarum excidisset hominibus doctis, evenit paullatim, ut fabulae eius acciperent habitum a pristino, qui libris scriptis esset traditus, admodum alienum, utque plurimis in locis ignoraretur, quid fide membranarum niteretur, quid criticorum interpolationibus esset novatum.

Itaque cum anno 1830 homo Francogallicus Iulius Berger de Xivrey protracto rursus ex tenebris codice Pithoeano bene meritus esset de Phaedro, aliquanto plus eidem praestitit Caspar Orellius, qui proximo anno fabularum et libros quinque et appendicem Perottinam edidit, instructa apparatu critico tali, ut quaecunque de diversis diversorum Phaedri codicum lectionibus essent tradita repraesentarentur paene integra. Idem in prolegomenis historiam criticam fatorum, quae perpessi sunt codices Phaedri (nam, ut rectissime dicit Terentianus Maurus, habent sua fata et libelli) accurate perscriptam proposuit. Itaque magna laude dignam censemus hanc eius recensionem, quanquam ipse ad emendanda vel explicanda Phaedri scripta non plus contulit quam ad Horatii. Vtilitatis aut parum aut nihil attulerunt eidem Dressleri editiones (Bautzenae a. 1831, Lipsiae 1850), quibus simul ut memoravi exhibentur fabulae pleraeque, quas Romulus aut alii servaverant, ex pedestri sermone in versus coactae deterrimos, neque Phaedro dignos sed Ribbeckio. Quibus recisis Franziscus Eyssenhardtius in recensione Berolini a. 1867 publicata etsi ipse pauca admodum novavit in tradita scriptura, magnam tamen laudem meruit quod ad tollenda, quae plurima latent in Phaedro, menda primus inter Germanos priorum inventis criticorum, maxime Bentleii, uti ausus est cum libertate iudicii. Ego in editione mea, quae prodiit Lipsiae 1868 in bibliotheca Teubneriana, quaeque plurimum teritur hominum Phaedri curiosorum usu, primum id studui, ut legerentur versus Phaedri castigati ad eas rei metricae leges, quas certo constat secutum esse Phaedrum, deinde, ut omnino adhibitis propriis pariter atque alienis emendationibus verba Phaedri restituerentur quam maxime posset fieri integra. Quanquam cum editio illa esset scholarum potissimum usibus

dedicata, cavendum mihi fuit, ne nimis saepe traditam lectionem mutarem. Praeterea cum omnino nunquam quisquam opinor doctorum librum graecum vel latinum ediderit ea felicitate ingenii usus, ut nihil omnino relinqueret emendandum posterioribus aetate criticis, quid mirum mihi idem accidisse in Phaedro, cuius carmina, ut supra memoravi, et interpolata satis et admodum corrupta feruntur antiquitus. Itaque et alii post me quaedam attulerunt Phaedro haud inutilia, et nos ipsi hic illic notavimus nonnulla studiosis eiusdem fortasse non spernenda. Cuius rei in fine huius disputationis exempla aliquot liceat proponere.

I, 9, 6, 7:

> dum loquitur, ipsum accipiter necopinum rapit
> questuque vano clamitantem interficit.

Valde mihi videtur probabile pro *accipiter* scribendum esse *acceptor*, cum in fabula Romuli III, 5, quae quin ex Phaedro expressa sit mihi videtur vix dubium, codex optimus Wissemburgensis semper eandem formam huius nominis exhibeat, ubi in deterioribus libris est *accipiter*. Vnde enim vocem rarissimam, quae apud solum occurrit Lucilium (frgm. inc. 92), sumeret auctor anonymus nisi ab ipso Phaedro? Nec vero credibile est eundem scriptorem modo *accipitrem* dixisse, modo *acceptorem* sine causa.

I, 12, 7—9:

> venantum subito vocibus conterritus
> per campum fugere coepit et cursu levi
> canes elusit.

In paraphrasi Wissemburgensi haec sunt:

Venatorum subito voces *audivit et* canes repente latrare coeperunt. Cervus currens evasit molossos.

Consideranti mihi paraphrasten, quisquis fuit, cum saepe poeticas dictiones mutet pedestribus, haud facile solere pedestres invertere poeticis, alienum videtur a probabilitate ipsius ex ingenio provenisse illud «*evasit molossos*», sed potius olim apud Phaedrum pro «*canes elusit*» fuisse «*lusit molossos*». «*Lusit*» ut in fabula de tauro et culice «*lusit turbam*». *Molossos canes* propter insignem sollertiam saepe memorari a veteribus pro canibus quibuslibet venaticis notum vulgo. Similiter infra (V, 10, 7) ex praeclara Bentleii emendatione «*cui senex contra Lacon*».

I, 25, 7, 8:

noli vereri. at ille: facerem mehercule,
nisi esse scirem carnis te cupidum meae.

Statuitur vulgo Phaedrum modo *mehercule* dixisse, modo *mehercules*. Notandum tamen veteres poetas haud facile diversis eiusdem vocabuli usos esse formis nisi ubi metri necessitas cogeret. Iam apud Phaedrum cum codex Perottinus ubique praeter hanc fabulam, quae non legitur in eo, praebeat illud *mehercules*, quod III, 17, 8 ipse versus exigit (nam *mehercule* e finale corripit), cumque alias semper inveniatur interiectio ista in fine versus iambici collocata, qui amat longa syllaba terminari, credo omnino in his fabulis reponendum *mehercules*, quod quidem pronuntiandum est *mercules*.

I, 29, 1—3:

plerumque stulti, risum dum captant levem,
gravi destringunt alios contumelia
et sibi nocivum concitant periculum.

Occurrens in his adiectivum *nocivus* quod exiguae est admodum auctoritatis, non ita magni facerem, cum exemplorum similium analogia sit munitum, si modo sensum praeberet idoneum. Id tamen secus se habere apparet, cum praesertim ipse Phaedrus narret, non nocuisse asino impudentiam suam. Sensit id Bentleius, qui pro *nocivus* coniecit scribendum *vicissim*, quod tamen vocabulum a scriptura tradita longe est remotum, neque quidquam vigoris addit sententiae. Equidem diu est cum existimarim scribendum esse *necivum*, quod ut proxime accedit ad traditam lectionem ita egregie cum fine fabulae concordat. Nec tamen dissimulabo apud nullum me invenisse auctorem Latinum illud *necivus* pro *internecivus*. Itaque haec coniectura quibus non arriserit, videbitur fortasse magis probabile *nocivum* ortum esse haustis quibusdam vel obscuratis in archetypo Phaedri litteris et scribendum *non parvum*, quod certe ad sententiam est aptissimum.

Ceterum videtur sane antiquum hic fuisse in codicibus Phaedri mendum. Nam quod inscriptum est fabulae l. IV, 19: *serpens. misericordia nociva*, ex ipso illo loco videntur petisse librarii vocabulum *nocivus*. Nempe et Phaedri et plerorumque auctorum veterum carminum titulos constat non ab ipsis profectos scriptoribus, sed a librariis antiqui temporis

sive medii aevi additos, qui saepe satis inepte rem egerunt, cum ad initia potissimum poematum inscriptiones accommodarent; cf. praef. Horat. pag. X; Catull. VII; VIII. Et harum fabularum titulorum insulsam barbariem, primis medii aevi saeculis dignissimam, apte iam perstrinxit Eyssenhardtius praef. pg. 4.

II.

Auctor.

exemplis continetur Aesopi genus;
nec aliud quicquam per fabellas quaeritur,
quam corrigatur error ut mortalium
acuatque sese diligens industria.

Versus primus multis doctorum suspitionibus exagitatus, sed, ut mihi quidem videtur, immerito. Nempe cum negarent plerique *genus* simpliciter posse dici pro *genere litterarum* vel *studiorum*, Bentleius coniecit scribendum: *exemplis continetur humanum genus*, ut *continetur* esset idem quod *coercetur* sive *regitur*. Ita dici posse salva latinitate cum sit manifestum, nec minus, ad sensum egregie esse aptum id, quod proposuit ille, tamen facile concedetur omnia prius esse temptanda, quam tam audaci utendum commento. Quae enim tanta potuit esse librariorum vel maxime neglegentium socordia, hoc ut loco pro *humanum* ponerent *Aesopi?* Aliquanto deterior est Mauricii Hauptii, professoris Berolinensis recens defuncti, coniectura, qui cum sibi persuasisset Aesopi nomen ex glossemate super versum posito irrepsisse in verba Phaedri, statuit scribendum: *exemplis continetur apologi genus* (id est *fabulae genus)*. Nempe ut mittam talium interpolationum exempla in codicibus Phaedri quantumvis depravatis vix inveniri, primum peccavit vir clarissimus contra dicendi usum Phaedri, qui etsi alias satis est frequens graecis vocabulis, nunquam tamen poemata sua appellavit nisi latino nomine *fabularum* sive *fabellarum*, deinde contra metricam artem eiusdem, quia nunquam admisit quinto pede vocabulum in iambum exiens, qua in re ei convenit cum aliis quibusdam poetis latinis (cf. praef. Phaed. pag. VIII, IX). Equidem aliquando conieceram una litera mutata esse scribendum *penus*, sicuti dixit Phaedrus initio operis: *Aesopus auctor quam materiam repperit.* Obstat tamen huic coniecturae, quod *penus*

vocabulum, quantumvis diversis significationibus saepe adhibitum, tamen nunquam invenitur dictum de materia litteraria. Tandem, denuo considerato hoc loco Phaedrique ipsius et aliorum scriptorum libris pervestigatis, intellexi nihil omnino in tradita lectione esse culpandum. Pro qua primum stat exemplum ex ipsis Phaedri fabulis petitum, quod miror admodum fugisse Bentleium, ceteros fugisse minus miror. Nam IV prol. 10—14 leguntur haec:

quare, Particulo, quoniam caperis fabulis
(quas Aesopias, non Aesopi, nomino,
quia paucas ille ostendit, ego plures fero,
usus vetusto genere, sed rebus novis),
quartum libellum, cum vacarit, perleges.

Apparet simillime hoc loco dici *genus* pro *genere litterarum, quod Aesopus invenit;* nec enim facile quisquam ex praecedentibus supplebit *fabularum*. Atque adeo idem auctor paulo ante (v. 8) *colorem* dixit pro *colore scribendi*. Praeterea poeta aequalis Phaedro Ovidius Ibidis vv. 57, 58 dixit ita:

utque ille, historiis involvam carmina caecis,
non soleam quamvis hoc genus ipse sequi.

Etiam hic certum est *genus* poni pro *genere studii litterarii*.

Denique saeculo IV in epistula Constantini imperatoris ad Porphyrium poetam §. 8 haec leguntur: *liber adsidue cursus oratoribus fuit; eos vero, qui versibus dicerent, certis finibus lex metris statuta continuit: quare non inmerito illud usus invenit, ut hoc genere dicturis Heliconis aut Parnasi sacra peterentur, cum mortalis ingenii deficiente substantia necessaria viderentur auxilia divina;* in quibus etiam *genus* eodem, quo apud Phaedrum et Ovidium, sensu est positum.

III, 1, 2, 3; append. 19, 1:

adhuc Falerna faece et testa nobili
odorem quae iocundum late spargeret.
equum et quadrigam multis palmis nobilem.

Scripsere homines docti *e testa*, *e quadriga;* sed debebat poni *ec;* quae praepositionis forma, plerumque a librariis in *et* corrupta, etiam restituenda est IV, 5, 47.

IV, 24.

Ne nunc quidem poenitet quod Bongarsium aliosque secutus doctos versuum huius fabulae talem institui ordinem,

ut ponerentur 16, 13, 18, 17, 14, 15. Vide tamen an vv. 5, 6, cum ferantur tales:

> ubi immolatur, exta praegusto deum;
> moror inter aras, templa perlustro omnia,

ita digniores sint Phaedro:

> moror inter aras, templa perlustro deum;
> ubi immolatur, exta praegusto omnia.

His aptissime iam respondere vv. 11—13 nemo facile negabit.

Praeterea versum primum, ut temere ex III, 17, 13 in hunc locum translatum, utique uncis includi oportuit.

Ib. 25, 22 sqq.:

> repente duo cum iuvenes, sparsi pulvere
> sudore multo diffluentes, corpore
> humanam supra formam cuidam servolo
> mandant, ut ad se provocet Simonidem:
> illius interesse, ne faciat moram.

Apparet pro *illius* melius legi *ipsius*.

Ex libro quinto multas fabulas perisse iam supra memoravi. Et videor mihi posse demonstrare statim post prologum aliquid intercidisse. Cuius ultima verba cum sint haec:

> adeo fucatae plus vetustati favet
> invidia mordax quam bonis praesentibus.
> sed iam ad fabellam talis exempli feror;

sequentem fabulam de Demetrio rege et Menandro poeta, ut recte videantur docti verba in Perottino codice huic fabulae inscripta *quomodo saepe fallatur hominum iudicium* epimythii loco reposuisse in hunc trimetrum mutata:

> humanum saepe sic iudicium fallitur,

tamen minime possum mihi persuadere pertinere ad id, quod proposuerat sibi Phaedrus demonstrandum. Nec enim de iudicii humani, quod invitum saepe peccaret, imbecillitate questus erat Phaedrus, sed de malignitate criticorum, qui, quamvis edocti meliora, quovis modo aequalium scripta elevarent, antiquorum extollerent. Eandem sui temporis hominum perversitatem Horatium in epistula ad Augustum facetissime perstringere notum est. Itaque ad versus ultimos prologi probandos neque epimythium sequens facit et multo

minus ipsa fabula, qua potius candoris, et adeo nimii, quam invidiae ullius proponitur exemplum. Quod cum ita sit, post prologum unam certe fabulam excidisse suspicor.

Ceterum satis constat verba promythii Perottini, quae supra apposui, per interpolationem addita esse huic fabulae, petita illa ex inscriptione fab. app. Perott. 8, qua agitur de eo qui cum videretur esse cinaedus esset vir fortis et strenuus. Et huic quidem carmini egregie convenit promythion tale: quam difficile sit hominem nosse. Contra plane ineptum est et alienum ab omni probabilitate Phaedrum existimasse re vera decuisse Menandrum, adeo ut nihil magis, habitum cinaedicum et delicatum, et iniuste egisse Demetrium, cum eum reprehenderet. Videtur potius etiam hac fabula perstrinxisse sui temporis criticos poeta, comparando cum malignitate horum, quibus nunquam praesentia bona probarentur, praeteriti candorem saeculi, quod vel aperta vitia in scriptoribus magnis facile tulisset.

V, 3, 11—13:

> hoc argumento veniam dari docet,
> qui casu peccat, quam qui consilio est nocens.
> illum esse quavis dignum poena iudico.

Ex his primum expungendus est v. ultimus; nunquam enim Phaedrus quas asserit promythiis sive epimythiis sententias communes sua ipsius auctoritate, sed sive fabulae veteris sive auctoris eius Aesopi firmat testimonio, semel (III, 4) ut se aliter iudicare addat. Et ipsa codicum lectio declarat ultima verba per interpolationem adiecta Phaedro. Nam cum v. 12 antiquitus feratur *quam*, satis apparet pro vitioso illo *dari*, quod in archetypo fabularum scriba nescioquis ad defectum sensus ac metri utcumque tegendum reposuisse est existimandus, comparativo potius aliquo esse opus, ut haec fere dedisse Phaedrum fiat probabile:

> hoc argumentum veniae magis aptum docet
> qui casu peccat quam qui consiliost nocens;

sive potius placuerit tale: *venia mage dignum docet.* nam *mage* forma cur Phaedrum minus usum esse dicam quam Syrum (223. 650) non habeo.

Append. 4, 23, 24:

> simulata interdum vitia prosunt hominibus,
> sed tempore ipso tamen apparet veritas.

Recte instituerunt rem docti, quod hos versus qui apud Perottum proprii sunt instar carminis praecedenti fabulae, a qua poematis compluribus sunt separati, epimythii instar iunxerunt. Scribendum tamen cum Bothio *vitio*, i. e. *noxa* sive *cum noxa*, quod pertineat ad *simulata;* quanquam nescio an rectius reponatur *initio;* cui respondet quod proximo versu legitur *tempore ipso.*

Ibid. 9, 1 sqq.:

> cum castitatem Iuno laudaret suam,
> iucunditatis causam non sprevit Venus,
> nullamque ut affirmaret esse illi parem,
> interrogasse sic gallinam dicitur.

Perit omnis lepos huius fabellae, nisi scripseris *ipsi imparem.* Nempe id voluit probare Venus, nullam feminam, ne Iunonem quidem, magis esse castam semet ipsa, quae propter morum levitatem male audiret. *Sibi imparem* scribi voluit Orellius.

Ibid. 13, 1, 2:

> per aliquot annos quaedam dilectum virum
> amisit et sarcophago corpus condidit.

Illud *per aliquot annos*, quod iungendum est cum *dilectum virum*, mihi quidem mirifice displicet, cum et omnino satis inepte dicatur, cumque faciat ad scelus mulieris, de quo deinde agitur, potius excusandum quam aggravandum. Itaque Bothius coniecit scribendum esse *ante aliquot annos*, satis quidem audacter. Sed aliquanto similius veri erit scripsisse poetam *post aliquot annos.* Notum est in codicibus latinis et *per* et *post* scribi plerumque per compendium, ut *per* reddatur *p* litera, cuius pars inferior lineola sit transfixa, *post* eadem cum addita supra apostropho. Qua re est effectum, ut saepe hae praepositiones confunderentur a librariis. Verba *post aliquot annos* iungenda sunt cum *amisit; dilectum virum* dicitur ut III, 10, 9: *maritus quidam cum diligeret coniugem.*

Ibid. 16, 6:

> postquam esurire coepit fera societas.

Labanti metro ut succurrerent, scripserunt homines docti *saeva societas*, neque id male (contra alii perperam *societas*

fera). Tamen cum *fera* ad sensum sit aptissimum, nescio an potius scribendum sit traiectione facta verbi unius:

postquam esurire societas coepit fera.

Saepe enim vocabulis traiciendis restituendum esse metrum in fabulis Perottinis supra monui. Ceterum *societas fera* plane ex more Phaedri dictum pro *socii feri.*

Ibid. 18, 3 sqq.:

quid tu confusus? dicam tibi clare, pater,
hoc namque es dignus appellari nomine,
tuto querela quia apud te deponitur.

Manifestum est ultima rectius referri ad versum 3 quam ad ea quae proxime praecedunt. Itaque v. 4 parenthesis instar est habendus.

Restant alia, quae in fabulis Phaedri aut emendatione videantur egere aut explicatione; de quibus tamen, ne in nimiam excrescat molem huius opusculi spatium, dicere nunc non est animus.

Addam loco mantissae quaedam de Aviano fabularum auctore altero Latino, sed breviter, ut qui acturus sim de scriptore mediocri admodum, ne dicam futili.

Huic praenomen a plerisque indi video *Flavii,* quia Gerardus Iohannes Vossius et Caspar Barthius id in codicibus suis invenerint. Et credo Vossium, hominem integerrimum (nam de Barthio suspectae saepe fidei auctore minus certa res est) invenisse hoc nomen, quod ultimis imperii Romani temporibus admodum usitatum fuisse norunt omnes. Tamen neque mihi neque Lachmanno aut Froehnero aut alii cuiquam mortalium unquam idem repertum in membranis, in quibus dicitur *Avianus* vel interdum, sed raro admodum, *Avienus.* Itaque in libris istis Vossii ac Barthii qualibuscumque credo dictum poetam aut *Fl. Avianum,* adhibita nota, qua solet fere scribi *Flavius,* ortoque errore ex compendio vocabuli *fabularum* male intellecto, quod perperam eius nomini sit praepositum (eius rei simile exemplum habetur in codice Wissemburgensi, cuius in inscriptione libri secundi legitur *Aesopi fabri* pro *Aesopi fabularum)* aut potius *Flavianum* ex mala recordatione grammatici Flaviani, cuius saepe meminerunt medii aevi scriptores.

Eum poetam quod Cannegieterus et Lachmannus secundo p. Chr. saeculo adscribunt, longissime utrumque a vero aberrare existimo. Et Cannegieteri quidem dissertatio notissima *de aetate et stilo Flavii Aviani* (ita enim inscripsit) ut multa doctrinae non spernendae ita vix pauciora iudicii deficientis ortorumque ex hoc vitio sive errorum vix credibilium sive inutilium argutiarum continet documenta. Ceterum et huius et Lachmanni opinio eo potissimum nititur argumento, ut dicant in scholis medii aevi, quibus sane multum lectitatus est Avianus, eius poemata omnia ea traxisse, quae aliena sint ab aetate Antoninorum. Et sane libros scholarum usu per medium aevum tritos gravioribus quam ceteros corruptelis et interpolationibus affici solitos pridem intellexere critici. In Aviano, ut leviora nunc mittam, ab antiquo inde tempore maxime, nec immerito, promythia vel epimythia hominum doctorum moverunt suspitiones, cum praesertim a nonnullis codicibus eorum pleraque exulent (cf. Canneg. diss. pg. 291, 2). — Verum enim vero in ipsis fabulis tam multa quarti quintive p. Chr. saeculi dictionis metricaeve propria inveniuntur, ut, nisi novum prorsus tuo periculo fingere sustinueris Avianum, tolli ea coniectando non possint. Et ipse dicit se nullo ante libro edito fabulas has rudi latinitate compositas elegis explicare esse conatum; ubi *explicare* idem est quod *proponere* sive *perscribere*. Plura de hac re monuimus libri nostri de re metrica poetarum Latinorum pg. 55. Quae cum ita sint, haud improbabili coniectura uti eos existimo, qui *Theodosium* illum ad quem dedit fabulas Avianus credunt fuisse *Ambrosium Theodosium Macrobium* notissimum Saturnaliorum scriptorem, qui Arcadio et Honorio imperatoribus fuit aequalis.

Scripsit latino sermone fabulas ut ipse testatur numero 42, Babrium, cuius magnum fuit nomen ultimis antiquitatis saeculis, si non semper (cf. Lchm. praef. Babr. pg. IX), at certe plurimum secutus; ut quae non extant Aviani exempla apud hunc ea fere sicut haud paucae eiusdem fabulae deperisse sint existimanda.

Eius in fabulis etsi hic illic inveniuntur relata non inscite, multum tamen suavitate vincitur a Babrio, atque adeo Phaedro, quanquam is minime aequat huius virtutes, longe est inferior.

Sermone haud infrequenter utitur scabro ac saepius difficili, insita temporibus eius pravitate, qui ne simplicissimas quidem res sine tricis verborum possent enuntiare.

Nec vero metri delectus satis aptus, quem praeisse ei notum est Socratem, cuius initium logi Aesopei disticho expressum servavit Diogenes Laertius.

Multum tamen est lectitatus in scholis medii aevi Avianus, quibus et alii ultimorum imp. Rom. saeculorum scriptores haud raro tractabantur. Sed eius in locum pridem successit Phaedrus, quamquam ille secutus Babrium ab omni obscaenitate abstinet.

Dolendum autem, quod scriptor quantumvis mediocris nondum ita tractatus est a criticis, ut novae eius carminum editionis desiderio nullo teneamur. Certe Lachmannum in recensione harum fabularum, quam publicavit Berolini a. 1845, solita destituit felicitas, atque adeo nullum auctorem Latinum minore cum successu temptatum ab eo existimo quam Avianum. Saepe quippe metricae huius auctoris, interdum etiam sermonis Latini leges violavit aut sensus corrupit carminum (notavi has potissimum eius coniecturas, quas Ribbeckii esse quam Lachmanni citius persuadebis animo tuo: 16, 17; 22, 15; 23, 1; 28, 12; 35, 1; 1, 1; 7, 14; 14, 10; 25, 3; 39, 12), atque adeo bis terve, non saepius, nativae ac totiens alibi probatae sollertiae documentum edidit. Froehneri editione quae prodiit Lipsiae ante duodecim annos praeter codicum bonorum lectiones cum diligentia collectas nihil bonae frugis continetur. Fuerat pridem mihi animus etiam edendi carmina Aviani, nisi graviorum negotiorum obstitisset multitudo. In hos usus, cum versarer Lugduni Batavorum, excussi codicem Vossianum ex libris qui vocantur in quarto nr. 86, saeculo nono scriptum, sed exiguo cum fructu. Etenim libri ex Coenobio S. Germani, quem P littera signat Froehnerus, tam similis est, ut aut Parisinum ex Lugdunensi aut potius utrumque ex eodem archetypo descriptum esse existimem. Etiam in cod. Voss. form. oct. 15 saec. XIII scripto, eodem, qui praeter alia multa Nilantianas paraphrases exhibet, prostant fabulae Aviani. Ex hoc notavi bis lectionem meliorem ceterorum librorum testimoniis. Nam 6, 1 firmatur eo Neveleti

coniectura, *limoque* pro *olimque* qui reposuit, ut tamen a prima manu fuisse videatur *olimoque* (sive adeo *olimque);* 38, 5 quod Cannegieterus primus scripsit *phycis*, exhibetur ibidem; nam in reliquis legitur *phocis, phoccis, phoctis.*

Ex libris Aviani nondum collatis maxime dignum doctorum curis censeo Galeanum, a quo omnia omnino epimythia exulare ad Hor. art. poet. v. 337 testatur Bentleius.

Bibliotheca Graeca

CURANTIBUS

Fr. Jacobs et Val. Chr. Fr. Rost.

Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri.

	Mk. Pf.
Aeschinis in Ctesiphontem oratio recensuit explicavit *A. Weidner* .	3.60
Aeschyli Choephorae, illustr. *R. H. Klausen*. 8. mai. 1835	2.25
—— Agamemno, illustr. *R. H. Klausen*. Ed. II. ed. *R. Enger*. 8. mai. 1863	3.75
Anacreontis carmina, **Sapphus** et **Erinnae** fragmenta, annotatt. illustr. *E. A. Moebius*. 8. mai. 1826.	— 60
Aristophanis Nubes. Ed. illustr. praef. est *W. S. Teuffel*. Ed. II. 8. mai. 1863	1.20
Delectus epigrammatum Graecorum, novo ordine conc. et comment. instr. *Fr. Jacobs*. 8. mai. 1826	1.80
Demosthenis conciones, rec. et explic. *H. Sauppe*. Sect. I. (cont. Philipp. I. et Olynthiacae I—III.) Ed. II. 8. mai. 1845	1 —
Euripidis tragoediae, ed. *Pflugk* et *Klotz*. Vol. I, II et III. Sect. I—III.	14.70

Einzeln:

Vol. I.	Sect. 1.	Medea. Ed. III	1.50
„ I.	„ 2.	Hecuba. Ed. II	1.20
„ I.	„ 3.	Andromacha. Ed. II	1.20
„ I.	„ 4.	Heraclidae. Ed. II.	1.20
„ II.	„ 1.	Helena. Ed. II	1.20
„ II.	„ 2.	Alcestis. Ed. II	1.20
„ II.	„ 3.	Hercules furens	1.80
„ II.	„ 4.	Phoenissae	1.80
„ III.	„ 1.	Orestes	1.20
„ III.	„ 2.	Iphigenia Taurica	1.20
„ III.	„ 3.	Iphigenia quae est Aulide	1.20

Hesiodi carmina, recens. et illustr. *C. Goettling*. Ed. II. 8. mai. 1843 .	3 —

Einzeln:

Theogonia	— 75
Scutum Herculis	— 50
Opera et dies	1 —
Homeri certamen, fragmenta et vita Hesiodi	1.50
Homeri Ilias, varietat. lect. adi. *Spitzner*. Sect. I—IV. 8. mai. 1832—36	4.50

Einzeln:

Sect. I. lib. 1—6	— 90
Sect. II. lib. 7—12	— 90
Sect. III. lib. 13—18	1.35
Sect. IV. lib. 19—24	1.35

Die einzige Ausgabe der Ilias, welche den kritischen Apparat vollständig enthält.

Lysiae et **Aeschinis** orationes selectae, ed. *I. H. Bremi*. 8. mai. 1826	1.50
Lysiae orationes selectae, ed *I. H. Bremi*. 8. mai. 1826	— 90
Pindari carmina cum deperditarum fragm., variet. lect. adi. et comment. illustr. *L. Dissen*. Ed. II. cur. *Schneidewin*. Vol. I. 1843 .	3.90
—— Vol. II. Sect. I. II. (Comment. in Olymp. et Pyth.) 1846. 47. (à 1 Mk. 50 Pf.)	3 —
Platonis opera omnia, recensuit, prolegomenis et commentariis instruxit *G. Stallbaum*. X voll. (21 Sectiones). 8. mai. 1836—61. compl. (excl. Voll. II. VI. 2 et VII)	60 —

Einzeln:

Vol. I.	Sect. 1.	Apologia Socrati et Crito. Ed. IV. 1858 . .	2.40
„ I.	„ 2.	Phaedo. Ed. IIII. cur. *Wohlrab*. 1866. [Vergr.]	2.70
„ I.	„ 3.	Symposium c. ind. Ed. III. 1852	2.25
„ II.	„ 1.	Gorgias. Ed. III. 1861	2.40
„ II.	„ 2.	Protagoras c. ind. Ed. III. ed. *Kroschel*. 1865	1.80
„ III.		Politia sive de republica libri decem. 2 voll. Ed. II	7.50

Platonis opera omnia ed. *G. Stallbaum*. Mk. Pf.

Einzeln:

Vol.	III.	Sect.	1.	Politia lib. I—V. 1858	4.20
„	III.	„	2.	lib. VI—X. 1859	3.30
„	IV.	„	1.	**Phaedrus.** Ed. II. 1857	2.40
„	IV.	„	2.	Menexenus, Lysis, Hippias uterque, Io. Ed. II. 1857	2.70
„	V.	„	1.	Laches, Charmides, Alcibiades I. II. Ed. II. 1857	2.70
„	V.	„	2.	Cratylus cum. ind. 1835	2.70
„	VI.	„	1.	Euthydemus. 1836	2.10
„	VI.	„	2.	Meno et Euthyphro itemque incerti scriptoris Theages, Erastae, Hipparchus. 1836. [Vergr.]	4.20
„	VII.	„	1.	Timaeus et Critias. 1838	5.40
„	VIII.	„	1.	Theaetetus. Ed. II. rec. *Wohlrab.* 1869	3 —
„	VIII.	„	2.	Sophista. 1840	2.70
„	IX.	„	1.	Politicus et incerti auctoris Minos. 1841	2.70
„	IX.	„	2.	Philebus. 1842	2.70
„	X.	„	1.	Leges. Vol. I. lib. I—IV. 1858	3.60
„	X.	„	2.	lib. V—VIII. 1859	3.60
„	X.	„	3.	lib. IX—XII. et Epinomis. 1860	3.60

Sophoclis tragoediae, rec. et explan. *E. Wunderus.* 2 voll. 8. mai. 1847—1857 . . . 9 —

Einzeln:

Vol.	I.	Sect.	1.	Philoctetes. Ed. III	1.20
„	I.	„	2.	Oedipus tyrannus. Ed. IV	1.20
„	I.	„	3.	Oedipus Coloneus. Ed. III	1.80
„	I.	„	4.	Antigona. Ed. IV	1.20
„	II.	„	1.	Electra. Ed. III	1.20
„	II.	„	2.	Aiax. Ed. III	1.20
„	II.	„	3.	Trachiniae. Ed. II	1.20

Thucydidis de bello Peloponnesiaco libri VIII, explan. *E. F. Poppo.* 4 voll. 8. mai. 1843—1866 . . . 12 —

Einzeln:

Vol.	I.	Sect.	1.	Lib. I. Ed. II	3 —
„	I.	„	2.	Lib. II. Ed. II	2.25
„	II.	„	1.	Lib. III	1.80
„	II.	„	2.	Lib. IV	1.50
„	III.	„	1.	Lib. V	1.50
„	III.	„	2.	Lib. VI	1.80
„	IV.	„	1.	Lib. VII	1.50
„	IV.	„	2.	Lib. VIII	1.50

Xenophontis Cyropaedia, comment. instr. *F. A. Bornemann.* 8. mai. 1838 . . . 1.50

—— Memorabilia (Commentarii), illustr. *R. Kühner.* 8. mai. 1858. Ed. II . . . 2.70

—— Anabasis (expeditio Cyri min.), illustr. *R. Kühner.* 1852 . . . 1.60

Einzeln à 1 Mk. 80 Pf.

Sect. I. lib. I—IV.

Sect. II. lib. V—VIII.

—— Oeconomicus, rec. et explan. *L. Breitenbach.* 8. mai. 1841 . . . 1.50

—— Agesilaus ex ead. recens. 8. mai. 1843 . . . 1.20

—— Hiero ex ead. rec. 8. mai. 1844 . . . — 75

—— Hellenica, Sect. I. (lib. I. II.), ex ead. rec. 8. mai. 1853 . . . 1.20

—— —— Sect. II. (lib. III—VII.), ex ead. rec. 8. mai. 1863 . . . 4.80